

DIE XVIII MARTII.

SANCTI CYRILLI EPISCOPI HIEROSOLYMITANI, CONFESSORIS ET ECCLESIAE DOCTORIS.

Introitus. Eccli. 15.

In medio Ecclesiae aperuit os ejus: et implevit eum Dominus spiritu sapientiae et intellectus: stolam glorie induit eum.

Ps. 91. Bonum est confiteri Domino: et psallere nomini tuo Altissime.

✠ Glória Patri...

ORATIO.

Da nobis, quæsumus, omnipotens Deus, beato Cyrillo Pontifice intercedente, Te solum verum Deum, et quem missisti Jesum Christum, ita cognoscere: ut inter oves, quæ vocem ejus audiunt, perpétuo connumerari mereamur. Per eundem Dominum...

Lectio libri Sapientiae.

Eccli. 39.

Justus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad Dominum, qui fecit illum, et in conspectu Altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione, et pro delictis suis deprecabitur. Si enim Dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiae replébit illum: et ipse, tamquam imbres mittet eloquia sapientiae suae, et in oratione confitebitur Domi-

no: et ipse diriget consilium ejus, et disciplinam, et in absconditis suis consiliabitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinae suae, et in lege testamenti Domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam ejus, et usque in saeculum non delebitur. Non recedet memoria ejus, et nomen ejus requirétur a generatione in generationem. Sapientiam ejus enarrabunt gentes, et laudem ejus enuntiabit ecclesia.

Graduale. Ps. 36. Os justi meditabitur sapientiam, et lingua ejus loquétur judicium.

✠ Lex Dei ejus in corde ipsius: et non supplantabuntur gressus ejus.

Tractus. Ps. 111. Beatus vir, qui timet Dominum: in mandatis ejus cupit nimis.

✠ Potens in terra erit semen ejus: generatio rectorum benedicétur.

✠ Glória et divitiae in domo ejus: et justitia ejus manet in saeculum saeculi.

¶ *Tempore Paschali omittitur Graduale, et ejus loco dicitur:*

Allelúja, allelúja.

γ. *Eccli.* 45. Amávit eum
Dóminus, et ornávit eum:
stolam glóriæ induit eum.
Allelúja.

γ. *Osce.* 14. Justus ger-
minábit sicut lílium: et floré-
bit in ætérnum ante Dómi-
num. Allelúja.

¶ *Extra Tempus Paschále.*

Graduale. *Ps.* 36. Os justi
meditábitur sapiéntiam, et
lingua ejus loquetur judí-
cium.

γ. Lex Dei ejus in corde
ipsius: et non supplantabún-
tur gressus ejus.

Allelúja, Allelúja.

γ. *Eccli.* 45. Amávit eum
Dóminus, et ornávit eum:
stolam glóriæ induit eum.
Allelúja.

✠ Sequéntias sancti Evangélíi
secúndum Matthæum.

Matth. 10.

In illo témpore: Dixit Je-
sus discíplis suis: Cum per-
sequéntur vos in civitáte ista,
fúgite in áliam. Amen dico
vobis, non consummábitis ci-
vitátes Israel, donec véniat
Fílius hóminis. Non est dis-
cípulus super magístrum, nec
servus super dómínium suum.
Súfficit discípulo, ut sit sicut
magíster ejus: et servo, sicut
dóminus ejus. Si patremfamí-
lias Beélzebub vocavérunt;
quanto magis domésticos
ejus? Ne ergo timuéritis eos.

Nihil enim est opértum, quod
non revelábitur; et occúltum,
quod non sciétur. Quod dico
vobis in ténebris, dicite in lú-
mine: et quod in áure audítis
prædicáte super tecta. Et no-
líte timére eos, qui occídunt
corpus, ánimam áutem non
possunt occídere: sed pótius
timéte eum, qui potest et áni-
mam et corpus pérdere in
gehénnam.

Credo.

Offertórium. *Ps.* 91. Jus-
tus ut palma florébit: sicut
cedrus, quæ in Líbano est,
multiplicábitur.

Secréta.

Réspice, Dómine, immacu-
látam hóstiam, quam Tibi of-
férimus: et præsta; ut méritis
beáti Pontíficis et Confessó-
ris tui Cyrílli, eam mundo
corde suscípere studeámus.
Per Dómínium...

Commúnio. *Luc.* 12. Fidélis
servus et prudens, quem
constituit Dóminus super fa-
míliam suam: ut det illis in
témpore trítici mensúram.

Postcommúnio.

Sacraménta Córporis et
Sánguinis tui, quæ sumpsí-
mus, Dómine Jesu Christe,
beáti Cyrílli Pontíficis préci-
bus, mentes et corda nostra
sanctificent: ut divínæ con-
sórtes natúræ éffici mereá-
mur. Qui vivis...